

ut videntes imperfectionem nostram deficere, & A non posse implere quod debet; fugiamus ad misericordiam, ait Bern. ferm. 2. de Vigilia Nativit. Ideo enim jubet lex, ut admoneat quid faciat fides; id est, ut cui jubetur, si nondum potest, sciat quid petat. Si autem continuo potest, & obedienter facit; debet etiam scire quo donante possit. Ideo de spiritu & littera c. 13. *Deus dat preceptum, ut precipiens quærat auxilium. jubet per legem, dat per gratiam. jubet per litteram, dat per spiritum.* Lex itaque docendo & jubendo quod sine gratia impleri non potest, homini demonstrat suam infirmitatem, ut quærat voluntas, possit, quod infirma non possit. Ea si quidem est gratiæ Christi cum lege connexio, non ut cum aliquid precipitur, & præcepto merces proponitur; quo jubetur, in hominis quod offertur, in Dei sit potestate: sed ut utrumque sit in Dei, & quod jubetur, & quod offertur. Rogatur enim ut det quod jubet; non possentur autem a Deo que præcipi fieri, nisi ab illo donaretur ut fierent. Quid enim stultius quam orare ut facias, quod in potestate habentis? Hoc igitur est quod vobis in hodierna præsentis actus celebritate, Pentecostali festivitatis vicina explicandum suscipi; scilicet: Quidquid precipitur, hoc ipsum nos vel a Deo accipere, vel ut accipiamus rogare. Nihil, ait Aug. lib. 2. ad Bonifac. cap. ult. in scripturis sanctis homini a Domino video juberi, quod non invenitur vel dari ab ejus bonitate, vel peti, propter adiutorium gratiæ demonstrandam.

Atque ut in generalibus & scriptura petitis argumens non immoret, quæ cum alitruat sine Christo nos nihil posse; nihil nos habere quod non accipiamus; Omne datum optimum & omne donum perfectum defersum esse, descendens à patre luminum; Nos non esse sufficientes cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, sed sufficientiam nostram esse ex Deo; manifestè concludunt mandatorum, quæ nobis præcipiuntur, obedientiam, & virtuti spiritus ascribendam, & gratiæ quæ per Christum data est tribuendam, ut proinde cum docentis quatuordecim sacerdotibus quorum consuetudinem contra inimicos gratiæ Dei totus mundus amplexus est, veraci confessione dicendum sit; gratiam Dei per Jesum Christum Dominum, non solum ad cognoscendam, verum etiam ad faciendam justitiam nos per actus singulos adjuvare, ita ut sine illa nihil veræ sanctiæque pietatis habere, cogitare, dicere, agere valeamus.

Ad particularia descendamus. Novi testamenti filius promiserat per Ezechielum Deus c. 36. Spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam ut in præceptis meis ambuletis. Ipse igitur est qui facit ut faciamus quod precipit. Quod enim promittit Deus, non facit nisi Deus. Habet namque aliquod rationis & veritatis, ut homo promittat, & Deus faciat; ut autem homo se facere dicat quod promiserit Deus, superba impietas est reprobus sensus, quem ecclesiæ devitans, & de cuius manere veniat, ut Deo a fidelibus suis dignè & laudabiliter servitur (Dominica 22. post Pentec.) agnoscens fac nos, ait (Dominica 13. post Pentec.) amare quod precipis: De Sabbatho Sancto) nobis velle & posse que precipis. Domin. 20. fac nos tuus semper obedire mandatis. Que (feria tertia post Dom. secundam quadrage.) te auctore facienda cognovimus, te operante impleamus. Et mari suæ per omnia concors Angelicus Sylv. Orations Theologicæ.

Doctor, memorque illius per Augustinum frequenter iteratæ peccis; Da quod jubet & sube quod vis: in oratione quam quotidie fertur orasse: Quod (inquit) a me requiris ut faciam; vixisse ut sciam, possim, & veum: & da ex quo fieri oportet & expedi salutis anima mea. Sed age, quædam eorum quæ jubentur, speciatim persequamur.

Jubetur Marti 11. ut habeamus fidem, ubi respondens Jesus ait discipulis, Habere fidem Dei: & Joannis 14. Creditus in Deum, & in me credite. Si non crederitis quia ego sum moriemini in peccato vestro. Joannis 8. Sine fide impossibile est placere Deo, ad Hebr. 11. Ipsa tamen fides donum Dei esse monstratur, ad Ephes. 2. cum dicitur: Gratia Dei estis salvati per fidem; & hoc non ex vobis: Dei enim donum est. Ad Philip. 1. Vobis donatum est pro Christo non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini. Neque omnium est fides, 2. Thesi. 3. Sed quibus Deus paritur mensuram fidei. Ne ergo dicat aliquis Meum est velle credere, Dei autem gratia est adjuvare; sed dicat, gratia Dei est adjuvare ut si meum velle credere. Deus enim qui impium justificat, ipse infideli fidem quæ per charitatem operatur, gratia sua voluntatis inspirat, ait Fulg cap. 17. de Incarn. Et Aug. Fides prima datur, per quam cætera imperentur. Ut ergo homines qui sunt aversi & aversi convertantur ad Deum, & velle incipiant quod nolebant, & habere fidem quam non habebant; oratur pro eis, quamvis non oreter ab eis. Ipsi enim quomodo invocabunt in quem non crederunt?

Psalmodographi voce ad spem concipiendam convenimur, dicentis Psal. 4. Sperate in Domino. Et Psal. 36. Speravi in Domino: Verum ipsi Domino confitemur eodem psalm. 4. In spe constituisti me: & 118. mihi spem dedisti.

Notissimum est primum & maximum mandatum de dilectione Dei; & secundum quod huic simile est, de dilectione proximi: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, ex omni mente tua; & proximum tuum sicut teipsum. Ipsa tamen Charitas diffunditur in cordibus nostris per spiritum sanctum qui datus est nobis, Rom. 5. & ut infundatur, oramus, dicentes (Dominica 5. post Pentecost.) Infunde cordibus nostris tui amoris affectum: Et Dom. 6. Inferre pectoribus nostris amorem tui nominis: Et Dom. intra octavam Corporis Christi, Sancti nominis tui Domine timorem pariter & amorem fac nos habere perpetuum. Et iterum, Da cordibus nostris inviolabilem tuam charitatis affectum.

Jubemur esse humiles, ubi dicitur, humiliamini in conspectu Domini, Jac. 4. & ad Coloss. 4. Induite vos sicut electi Dei, sancti & dilecti viscera misericordiæ benignitatem, humilitatem, & 1. Petri 5. Omnes invicem humilitatem insinuate. Quod tamen virtus humilitatis ex Deo sit, Apostolus ad Rom. 12. significat cum inter donationes secundum gratiam quæ data est nobis, recenser, honore invicem provenire, non alta sapere, sed humilibus consentire; non esse prudentes apud semetipsos. Unde ecclesiæ; Deus qui superbis resistis, & gratiam præstas humilibus, concede nobis veræ humilitatis virtutem, cujus in se formam fidelibus unigenitus tuus exhibuit. Et iterum, Hac oblatio, Domine quaesumus, veræ nobis humilitatis gratiam obtineat. Nobis convenit illud 1. Reg. 7. Preparate corda vestra Domino: habemus tamen Proverb. 8. quod paratur voluntas à Domino.

Fides, donum Dei.

Ad Rom. 12. Aug. epist. 105.

Tom. 10. Fragm. 3. epist. 107.

Specs.

Charitas. Matib. 22.

Luce 10.

Humilitas.

Prov. 8. secundum 76.

Aug. 105.